



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Petri Danielis Huetii Demonstratio Evangelica**

**Huet, Pierre Daniel**

**Parisiis, 1679**

XV. Quartum argumentum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-16260**

vitatis, & partium suarum. Caterum quam parum valeat infiriale argumentum commemorare nihil attinet.

*Tertium argumentum.*

XIV. Quod cum iis quæ præcedunt, & quæ sequuntur, minus coherere videatur illa *πλειονη*, hinc aliam repudiandâ illius rationem ducunt Adversarii, atque eam quidem levem prorsus, si quid video, & infirmam. Familiare quippe est Historicis disconvenientes & diversas narrationes congerere, prout rerum postulat varietas, nulla quaesita argumentorum commissura. Ni faciant, magna quippe voluptate Lector, magnis historia fraudetur ornamentis, infinitis sese ipse Scriptor angustis impediatur, & in conectendis singulis & aptandis frustra defudet, ac legem præterea pervertat Historia, quæ temporum ordinem, non rerum persequi debet, uti præclare hic à Josepho factum est. Nam quamvis ea, quæ proxime subest, Paulinæ & Decii Mundi historia contigerit ante Christi mortem, quæ narratur in hoc Josephi loco, non minus propterea ordo temporum ab eo servatus est: nec enim mortem tantum Christi, sed vitam etiam, munus, ac res gestas, velut in brevi tabella, complexus est, quam in id tempus conjecit, quo vixisse eum constabat, non vero singula per annos digesta explicare instituit. Quem morem nobilissimos Historicos servasse demonstrat Casaubonus.

Casaub. adv. Baron. Exerc. II. ad Ann. 21. cap. 11.

*Quartum argumentum.*  
Blondell. Epist. ad Arnold.

XV. Ad hæc falsum esse affirmat Blondellus, quod illic legitur, *πολλὰς ἔθνην κὰς ἐπηγάγετο*. Plurimos à gentibus ad se pertraxit: cum ex Ethnicis unam tantum, alteramve mulierem ad suam sectam Jesus Christus traduxerit. Verum id quidem, at totas subinde gentes per Apostolos ad se convertit. Ad suum ergo tempus respexit Josephus, quo maximis jam incrementis Christianum nomen florebat, & Christo jure tribuit, quod per Christum, ac Christi virtutem facere se Apostoli prædicabant.

*Quintum argumentum.*

XVI. Addit deinde Christianos, ex Gentibus & Judæis promiscue collectos, *φύλον* dici non potuisse. De significatione dictionis, *φύλον*, disputent Grammatici: ego quidem pro certo habeo, *καὶ ἑθνη* sectam Christianorum, *φύλον*, recte dici posse. Præterea quis ab Hellenista Judæo accuratam Græcæ orationis munditiam expectet?

*Sextum argumentum.*

XVII. Absurdum postremo esse ait, Josephum, cujus in Ethnicorum vanitatem potius, quam in Apostolorum disciplinam animus inclinabat, fatentem inducere, Prophetas prædixisse casus ac gesta Christi Jesu, ac reditum præsertim ad vitam. Verum eodem sensu id dictum est, ac superius illud: *ὁ χριστὸς ἔδειξεν ἡμῖν*. Quod perinde est, ut si dixisset, cum credatur hic esse Christus, prædictiones Prophetarum, quæ genti nostræ Messiam sponponderunt, in eo feruntur exitum habuisse.

*Septimum refertur Tanaquilli Fabri Dissertatio super hoc Josephi testimonio de Christo Jesu.*

XVIII. Nunc adoriendus mihi est Tanaquillus Faber, popularis meus, vir ingenio florens, dum viveret, & liberalibus disciplinis perpolitus, qui (nec id enim sileri decet) cum ex sanctæ Ecclesiæ Catholice sinu, in quo natus fuerat & educus, juvenili quadam levitate profugisset, ætate maturior & consilio in eum redire rursus, & agniti errorem ejurare gestiebat, quemadmodum paucis ante obitum annis, pro candore suo, literis ad me datis significavit: verum nimis cunctantem inopina mors oppressit. Is testimonii hujus veritatem & *ρησώματα* epistola bene longa oppugnavit, partim recusis argumentis, quæ jam ab aliis fuerant intentata, & nos proxime retudimus, partim novis excogitatis. Nos singula breviter expendemus. Ac primum observat Sacerdotum genere prognatum fuisse Josephum, additum sectæ Phariseorum, quos præ aliis Christus Jesus sibi incessendos proposuerat, proindeque verisimile non esse laudatum eum esse à Josepho, qui Josephi gregales gravissimis injuriis affecerat. At Phariseus quoque fuit Paulus, & Christianæ quidem legi infensissimus, cui tamen demum paruit: Josephus contra, generis ut voles *ισραηλιτῆς*, & Phariseorum sodalis, Vespasianum tamen capitalem Judaicæ gentis hostem, aut Messiam esse credidit, aut credere se finxit. Styli deinde discrepantiam vir eruditus obtendit: frigidum esse ait, & laxum, hæerere, sudare, balbutire, qui hoc *ἐμβλημα* operi accudit. Felicem Tanaquillum, cui tam emunetas nares largitus est Deus: nobis quidem tam acutis & solertibus esse non licet; nam nihil horum mihi subolere fateor, nec ovum mihi videtur ovo similis, quam *πλειονη* hæc reliquarum Josephi scripturarum similis est. Tum hæc culpata verba: *ἰσθὺς τις, ἰησοῦς quidam*: quam postremam voculam notare ait vilem, aliquem homuncionem, cum sequentia maximis eum laudibus ornent. Eusebianæ quidem Historiæ codices dictionem, *τις*, exhibent; secus vero libri Demonstrationis Evangelicæ; secus ipsa Josephi exemplaria; secus Hieronymus, cujus hæc interpretatio est: *Eodem tempore fuit Jesus vir sapiens*; secus Ildorus Pelusiotæ, & Cedrenus, & Suidas, & Nicephorus. Quocirca expungendam esse voculam hanc ex Historia Eusebii manifestum est. Subest postea apud Josephum: *εἶσα ἅπλων ἀνδρα λέγοντα χριστὸν ἢν εἶσα ἄγαθόν ἐργον ποιῶντα*. Si modo eum oportet virum dicere: erat enim mirabilium effector operum. Ad ea sic ratiocinatur Faber: Josephus hominem dici non vult Iesum; Deum